

CARMEN

IOH. GABRIELIS MAJERI, Helv. P. L. C.



Re sub æthereas, quoniam sic expedit, auras  
 Expetit, & sperat, quascunque feretur in oras,  
 Posse placere Liber. Libris velut eruta multis  
 Multa tenet, vigili studio congesta per annos,  
 Quos Deus Auctori tribuit, quæ plurimus usus  
 Postea suggestit; solertia repperit; & quæ  
 Non unus caro monstravit Amicus Amico,  
 Et quæ nunc junctim cunctis evulgat amicus:  
 Sic quoque magnifici magna vi constitit auri,  
 Quod cuivis constare potest. Obstacula quævis  
 Vicit, & ad finem cœptos tolerare labores  
 Ac sumtus pecoris generosi gratia iussit.  
 Ingenii quædam probitas Elephantibus Indis  
 Et radius rationis inest: per tesqua vehendis  
 Mercibus & pariter dominis sunt apta Camelis  
 Corpora: mira fides Canibus: dant tergora Tauri  
 Et carnes, cùm rura diu coluere; maritæ  
 Lac præbent: Ovibus, numeres si commoda, primas  
 Lanigeris dabis, & mulcebis arundine gratâ:  
 Omnibus antistat præstans Equus, omnibus unus  
 Anteit, & superat non tantùm præpete cursu.  
 Utile quid factu fuerit, spectetur avaris  
 Inprimis: aliis potior respectus Honesti.  
 Nescio, quæ nobis, seu pax seu bella gerantur,  
 Cornipedes istos propiùs cognatio jungit?  
 Jungit amor? Sanè virtutum semina culta  
 Suscipiunt parili: vitiis pars magna laborat.  
 Ac ne, cum primos equites discurrere vidit,  
 Centauros frustra fuerit mirata vetustas;  
 Morborum quoque consortes, quos cætera jungunt,  
 Invenies. Sed enim quondam discrimina tangunt  
 Plura feros, nostrâ læsos per equilia culpâ  
 Inque viâ. Pereunt, homo dum sibi vivere cogit.  
 Nunc adeò fociis ut opem, medicamina nactus  
 Apta, feras, qui nempe ferunt tua membra volentes,  
 Hoc, veluti cœlo delapso, munere gaude.

EPIGRAMMA.

Bucephalum magno meritò Rex maximus emit,  
 Et magni fecit, dum tumulavit, equum.  
 Tantidem verò chartas mercatus is esset,  
 Quas nunc in manibus, splendide Lector, habes,  
 Bucephalus Regem poterat servare: sed ipsam  
 Bucephalum, contra tela luemque, liber.

\*):( ):(

INDEX